

deinde cum sacchari purissimi triplo pondere,  
donec optime misceantur.

### CONSERVA FRUCTUS CYNOSBATI.

℞. Pulpæ fructus cynosbati maturi ꝑ. libram  
unam, Sacchari purissimi ꝑ. uncias viginti.

MISCEANTUR, ut fiat conserva.

### CONSERVA PRUNORUM SILVESTRIMUM.

PRUNA in aquam immissa super ignem im-  
pone, ut mollescant, cautione adhibita, ne  
rumpantur; dein, exemptis ex aqua prunis,  
pulpam exprime, & triplo pondere sacchari pu-  
rissimi misce.

## CONDITA.

### RADIX ERYNGII CONDITA.

RADICES coque, donec cortex facile au-  
ferri possit; tum, eo ablato, per medium scin-  
dantur radices, & medulla exempta, ter qua-  
terve aqua frigida abluantur: deinde in singu-  
lās radicum libras accipe sacchari purissimi li-  
bras duas; quod aqua liquatum igni impone,  
& cum primum bullire incipit, injice radices,  
& coque, donec tenerescant.

EODEM modo condiuntur Angelicæ caules.

### CORTEX AURANTIORUM CONDITUS.

CORTICES aurantium Hispalensium re-  
centes in aqua sæpius mutata macera, ut amari-  
tudinem dimittant; tum coque cum saccharo

B 5

puris-

purissimo aqua liquato, donec teneri & pellucidi  
fiant.

EODEM modo condiuntur Limonum cortices.

## S U C C I

## SUCCI SCORBUTICI.

R. Succi Cochleariæ hortensis M. libras duas,  
Becabungæ,  
Nasturtii aquatici, singulorum M. li-  
bram unam,  
Aurantiorum Hispalensium M. uncias  
viginti.

MISCE, & , postquam fæces subsederint,  
effunde, vel cola.

## ROB BACCARUM SAMBUCI.

Succus baccarum sambuci defæcatus leni  
igne inspissetur.

## ELATERIUM.

CUCUMERES agrestes maturos scinde, &  
succum levissime expressum trajice per setaceum  
tenuissimum in vas vitreatum; deinde per ali-  
quot horas sepone, donec crassiorem partem  
deposuerit. Pars tenuior supernatans effunda-  
tur vasis inclinatione, & , quod reliquum erit,  
filtrando separetur. Crassiorem vero partem,  
quæ restat, panno linteo coopertam soli, vel  
aliâ leni calori expone, donec exaruerit.

EX-